Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1839
Quelle:
Copyright:

tione domini mortuo Clothario rege francorum filii ejus id est Aribertus, Guntbramus, Hilpericus, Sigisbertus regnum francie quadrifarie regnabant &c. In fine fit mentio de destructione Coenobii S. *Benedicti in Cassino*, quae in an. 582. incidit. Facta in his omnibus constant, frequenter tamen hallucinatur Chronologia. Particulas has in *Codice Beccensi Annalibus* adtextas a *Fabro* repertas fuisse, vero simillimum est.

VII. *fol.* 154. *Precipue Differentie inter puram christianamque Doctrinam euangelij et idolatricam papisticorum Doctrinam. Philippus Melancthon* 1540. Sunt Articuli XVI. quorum primus incipit: *Prima Differentia de vno christo et fide. Christiana Doctrina. Euangelium docet quod christus* (Deus) *nobis ex ineffabili misericordia filium suum ihesum christum misit* &c. *Papistica Doctrina. Contra Papiste nihil dicunt de fide. sed econtra docent dubitandum an sit remissio* &c. Vix adducor, ut credam autorem *Melanchthonem*, qui Catholicorum doctrinam melius certe novit.

VIII. *fol.* 158. *Danielis Cordati Cilien. Artium ac philosophiæ M. Hebraicarum Grecarumque Literarum I. V. Candidati Authoritate Rhomanorum Pontificis Summi Caesareeque Maiestatis PR. Contra villacen. perfidos Conatus.* Sequuntur Sententiae aliquot latine, hebraice, graece, germanice, et literis, ut ait autor, a se ipso inventis. Libellus ipse *germanica* lingua ad *Johannem Fabrum* Ep. scriptus est rudissime quidem et perobscure, ut nil insolens aevo illo, quo multi linguarum eruditarum peritissimi maternae vix tria verba eluctabantur. Queritur in eo *Cordatus*, se a *Mauritio Welzero Carinthiae* Praetore *(Landesverweser)* Civibusque *Villacensibus*, quorum *Syndicum* egerat, religionis catholicae ergo multis lacessitum injuriis, carcere 40. Hebdomadum maceratum, damnoque mille nummum aureorum adfectum, justitiamque *Ferdinandi* Rom. Regis implorat. Actum *Viennae 20. Apr.* 1540. et subscriptum: *Daniel Hertzig oder Cordatus gewesner Statschreiber zu Villach.*

IX. *fol.* 168. *Acta* in Comitiis *Augustanis* 1530. in caussa Religionis ab *Hieronymo Vebo* Cancellario *Badensi* submissa *Ferdinando* Rom. Regi 6. *Maji* 1532. lingua partim germanica, partim latina. Praeit Epistola *Vebi* ad Regem, in qua singula ex *Prothocollis suis*, ut ait, extracta Instrumenta enumerantur, quorum indicem subjicere opportunum duxi:

Erstlich *Acta der sieben von den stenden, vnd sieben von Protestirenden Chur vnd Fürsten Verordneten Fürsten, Theologen, vnd Juristen.*

Zum Andern, *was von Dreien auss den stenden vnd dreyen auss den Protestirenden darzu verordnet vnderredt worden.*

Zum